

litatem hanc semper ad ipsam præparationem, et operationem Dei reducit, non ad id quod præscit, et præsupponit; ut videri potest in libro de correptione et gratia, tum in capite viii, ubi dicit: « Quis ignorat fuisse tunc perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas ipsa deficeret, et permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo non posset esse inanis oratio. » Ergo infallibilitas illa orationis Christi, et indeficientia fidei Petri, ex præparatione ipsa Dei sumitur, non ex præsupposito aliquo, et præscito ex parte voluntatis nostræ. Unde subdit Augustinus quod: « Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem, et ut perseveret delectabilem perpetuitatem, et ut perseveret delectabilem insuperabilem fortitudinem. » Pertinet autem ad infallibilitatem perseverantiae insuperabilitas fortitudinis, et perpetuitas delectabilis, et hoc totum dicit habere a gratia: ex gratia ergo est infallibilitas, non ex præscientia alieujus præsuppositi ex parte nostri, scilicet consensus ante decretum et gratiam. Item in capite xii ejusdem libri, versans illud Apostoli de Abraham: *Plenissime sciens quia quæ promisit Deus potens est et facere*, subdit Augustinus: « Non ait quæ præscivit potens est promittere, aut quæ prædictit potens est ostendere, aut quæ promisit potens est præscire, sed quæ promisit potens est facere. Ipse ergo eos facit perseverare in bono, qui facit bonos. » Sed sic est quod promissio Dei est infallibilis: ergo si solum promittit id quod facit, non id quod præscit aut supponit, utique promissio illa non de præscientia eorum quæ Deus supponit, sed de ordinatione, et prædestinatione eorum quæ facit, infallibilitatem trahit;

promittit autem Deus etiam consensum, et cooperationem liberam nostram, ut cum promisit Abrahæ obedientiam, et fidem gentium: ergo facit, et non solum præscit illa. Quod et Augustinus expressit libro de prædestinatione sanctorum, c. x: « Quando, inquit, promisit Deus Abrahæ fidem gentium dicens: Patrem multarum gentium posui te, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat non quod homines, quin etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quod præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. » Ecce certitudo, et infallibilitas promissionis divinæ orta non ex potestate nostræ voluntatis prævisæ: ergo neque ex determinatione nostræ voluntatis prævisæ ante omne decretum, et determinationem Dei, quia illa determinatio si sic præscitur, in potestate voluntatis comprehensa præscitur, ut dicunt defensores scientiæ mediæ: est ergo illa certitudo orta ex ipsa prædestinatione qua Deus facit id quod promittit. Rursus: sed Deus promittit determinationem ipsam, seu actum, et consensum liberum, nempe fidem, et cultum Dei, qui sine illa determinatione, et consensu non stat: ergo etiam in hoc promisso, infallibilitas oritur, non ex ipso opere libero præsupposito, et præviso, sed ex eo quod Deus facit, ut faciamus illud, sicut dicit Augustinus. Ergo illud facere Dei, quod facit ut faciemus, infallibilitatem habet ex eo quod Deus facit, non ex eo quod præscit nos facere. Ex natura ergo sua est infallibile in quantum est faciens nos facere: sic enim infallibile reddit promissionem Dei, non ex natura sua indifferenter, et indeterminate se habet offerendo voluntati concursum, ut ipsa deter-

minet præsciendo tantum, non faciendo quod ipsa determinet: sic enim promitteret Deus infallibiliter, non quia ipse facit, sed quod nos facturos præscit de nostræ voluntatis determinatione, et potestate. Plura loca Augustini in superioribus adduximus, et ponderavimus, ibi videri poterunt.

Omittimus referre et solvere argumenta contra hoc, quia solum sunt illa quæ vel adstruere conantur scientiam medium, vel destruere efficaciam decretorum Dei ex natura sua, aut prædefinitionum antecedenter ad nostram libertatem, quasi ex tali efficacia destruatur libertas. Et ideo in locis supra citatis videri possunt, ubi a nobis late soluta sunt.

DISPUTATIO VIII.

DE CAUSIS PRÆDESTINATIONIS.

Causæ prædestinationis sumi possunt ex parte Dei, vel ex parte nostra. Ex parte Dei, sicut electio, seu intentio efficax quæ versatur circa finem, est causa præordinationis et præparationis mediorum. Ex parte nostra, sicut aliquod meritum, vel præcedens, vel prævisum, aut bonus aliquis usus nostri liberi arbitrii potest esse initium, occasio vel motivum prædestinandi aliquem et dandi ei primam gratiam, vel fidem, aut vocationem. Et ideo de omnibus istis in præsenti agendum nobis est.

ARTICULUS I.

Proponitur difficultas: utrum abso-luta electio ad gloriam sit ante prævisa merita, vel subsequatur illa?

I. Difficultas hæc, quæ non leviter his temporibus exagitari solet,

pendet ex his quæ articulo ultimo præcedenti disputationis tacta sunt circa efficaciam intentionis divinæ, ex qua dimanat prædefinitio, et præordinatio circa media: pertinet enim electio personæ determinata, et in singulari ad voluntatem intentionivam finis, quia scilicet finis iste qui est beatitudo, est volitus huic personæ in singulari, et persona ipsa designatur, et eligitur ad talem finem. Nec enim agimus nunc de voluntate illa inefficaci, qua Deus vult omnibus beatitudinem, quia illa voluntas cum sit inefficax, et antecedens, solum fertur in ipsa media sufficientia, et providet hominibus quod possint salvari, et ordinat omnes ad beatitudinem, et hoc totum efficaciter vult, et efficaciter consequitur, scilicet quod omnes ordinati sint ad salutem, et omnes habeant sufficientia media, et remedia ad vitam æternam; sed non est illa voluntas designativa in particulari, et electiva personarum efficaciter ad beatitudinem, quia ad illam voluntatem non spectat designare personas, et discernere eas quæ de facto consequantur, et quæ de facto excludantur a regno, sed communia remedia, et sufficientia ad salutem offerre, et proponere omnibus indiscriminatim, et sine discretione rejiciendorum, et salvandorum.

II. Omnes ergo fere in hoc conveniunt, quod antequam divina providentia et prædestinationis ordinet de mediis per quæ prædestinatus introducendus est ad gloriam, antecedit voluntas de fine, qua vult illis beatitudinem, si quidem cum media illa quæ præparantur, et prævidentur a Deo sint media consecutiva illius finis, non possent illa præparari, et disponi, nisi supponendo notitiam et amorem talis finis, ad quem diriguntur, et ordinantur, alias cæco, et ignorantem mo-

do præparentur media, si commensuratio eorum ad suum finem non videretur; et rursus si ille finis non esset volitus, et in voto habitus, superflue talis media præparentur, si quidem tota ratio præparandi, et totum motivum, finis aliquis est, cuius gratia, et propter quem fiunt: si autem gratia alicujus finis, et propter aliquem finem præparentur, si quidem ut media præparentur, et ratio motiva propter quam, seu id cuius gratia sunt volita media, finis est: ergo non potest intelligi mediorum præparatio in prædestinatione divina, nisi finem supponendo volitum, cuius gratia illa præparentur, et amantur. Hucusque difficultate caret ista quæstio.

III. Succedit difficultatis punctus et multorum ingeniourum tortura: an postquam Deus sic per simplicem, et antecedentem voluntatem omnibus hominibus voluit finem istum proponere qui est gloria, juxta quem finem a se volitum potest operari, et negotiari circa media, tamen ad habendum actum illum, quo non solum vult istum finem communiter, sed applicare uni præ alio, eligendo unum efficaciter et rejiciendo aliud a regno, prius eligit unum præ alio ad gratiam, et ad media, seu merita, et ultimo ad gloriam, ita quod electionem ad gratiam qua discernit istum ab illo nulla antecedat merita: electionem vero ad gloriam antecedat electio ad gratiam, et merita gratiae: an vero contra incipiatur discernere prædestinatum a non prædestinato per electionem, et applicationem efficacem unius ad gloriam præ alio, et deinde subsequatur electio ad media, et ad gratiam, seu ordinatio de mediis; atque ita illa electio efficax, et applicata seu determinata istius personæ ad gloriam præ alia, sit absoluta, non præsuppo-

nens gratiam aut merita prævisa ex parte subjecti, post ipsam autem electionem, et ordinationem hujus personæ ad gloriam præ alia incipiat ordinatio de mediis, et de gratia illi danda. Et uno verbo, punctus difficultatis est an discretio efficax inter prædestinatum, et non prædestinatum incipiat a gloria, an a gratia.

SENTENTIÆ.

IV. Duplex est celebrior in hac difficultate sententia, altera quæ electionem, et discretionem primam prædestinatorem a non prædestinatis incipit a gloria, altera quæ incipit et desumit a gratia. Minutiores alias sententias inter istas duas, statim referemus. Itaque utraque sententia ad electionem determinatam personarum faciendam, aliquem finem ex parte Dei supponit, ne absque finis fiat electio. Utraque ex parte hominum nulla merita supponit ad primam istam electionem faciendam, ne in Pelagianorum scupulos, et in Semipelagianorum syrtes illidat: nam qui dicunt Deum incipere electionem discretivam prædestinatorem a gloria, dicunt ita gratuito incipere electionem Dei, ut nulla merita, nec etiam ex gratia supponat in homine: alia vero sententia quæ incipit electionem a gratia, nulla merita ex nobis, seu ex naturali opera contra Semipelagianos supponit. Deinceps vero in electione ad gloriam, quia est electio ad coronam, et præmium, merita supponit, sed ex gratia. Differunt vero istæ sententiae, quia:

V. Prima, scilicet quæ incipit electionem a gloria, intendit salvare efficacem intentionem finis antecedenter ad media, et electionem determinatam ad gloriam reputat pro fine intento, quem dicit efficac-

citer debere intendi, et in singulari ac determinate ante omnia media, nec debere haberi media pro motivo eligendi ad finem. Concedit tamen alteri sententiae debere habere media pro effectu: et sic dicere ordinem ad illa, nec eligi ad beatitudinem ut ad præmium, seu coronam, nisi supponendo merita, non ut motivum eligendi, sed ut effectum.

Secunda vero sententia, quæ incipit electionem a gratia, dicit quod determinata applicatio finis ad hanc personam, seu electio efficax personæ ad finem cum rejectione alterius, supponit aliquem titulum in ipsa persona, ratione cuius ei detur, et applicetur, et cum intendatur dari illi ut corona, et præmium, necessario supponit meritum, cuius intuitu, et titulo detur. Et cum hoc meritum sit ex gratia, supponit electionem ad gratiam. Concedit autem primæ sententiae debere prius intendi finem quam media, sed non esse necesse quod intentio finis denominetur efficax, et incipiat esse applicata determinate huic personæ, quam alii, ante prævisa media, quando ex ipsis habetur titulus, et ratio propter quam de facto, et efficaciter dandus est isti ille finis potius quam alteri, seu præ alio. Unde in hoc quod est efficacem voluntatem finis, non præcedere, ut efficacem ipsam prævisionem mediorum præsertim in applicatione finis ad hanc personam præ alia, cum ex mediis dependeat motivum, et titulus applicationis, vult sententia ista id reduci ad meram opinionem, nec ex Scriptura et patribus ullum contra illam induci argumentum.

VI. Igitur primam sententiam tenent communiter Thomistæ, et etiam extra eorum scholam stat pro hac sententia Cajetanus hic art. iv; Alvarez lib. v de auxiliis, disp. xxxvii; Gonzalez hic disp. LXXIII; Bagnez super hanc quæstionem, art.

iv dub... Soto in epistola ad Rom. c. ix, digressione de prædestinatione. Et ex antiquis Capreolus, Deza, Hervæus, Ægidius, et alii quos citat Villegas in controversiis, controv. XIII, cap. ii et Herice de prædestinatione, disp. xxiii, c. iii. Eamdem sententiam sequitur p. Suarez lib. i de prædestinatione, c. viii; Bellarminus tom. iii, lib. ii de gratia et libero arbitrio, c. xv; Granados i p. tract. vii, disp. iv, sect. iii; Ruiz de prædestinatione, disp. iv et seqq. Citat etiam Herice ubi supra n. xxiv Toletum, Salmeron, Curiel, Enríquez, et alios.

Pro secunda sententia stant p. Vasquez i p. disp. LXXXIX, c. ii et disp. xc, c. ii et iii p. disp. xxiii, c. vii; Molina hic q. xxiii, a. ii et iii et a. v disp. i, memb. vi et xi; Becanu tom. i, c. xi de voluntate q. iv, n. v et c. xiv, de prædestinatione, q. iv; Lessius disp. de prædestinatione, sect. ii, ubi citat plures antiquis, Alensem, Bonaventuram, Richardum, Albertum, et alios; sequitur eamdem sententiam p. Alarcon tract. iv de prædestinatione, disp. ii, latissime.

VII. Inter has duas sententias intercedunt aliæ minutiores, quæ vel moderari istas duas voluerunt, vel omnino negare. Nam in primis aliqui apud p. Suarez lib. i de essentia prædestinationis, c. viii, n. iii existimaru nullum ordinem dari inter decretum dandi gloriam, et dandi gloriam, sed uno eodemque simplicissimo, et indivisibili decreto, et eodem signo rationis contingi et voluntatem dandi gloriam, et voluntatem dandi gloriam, nec distinguere voluntatem circa finem, et circa media. Et fundantur in hoc, quod voluntas mediorum solum distinguitur a voluntate finis, ubi intervenit aliqua inquisitio, et consultatio de mediis; ubi autem media sunt pervia, et sine ulla consul-

tatione patent fini, eodem indivisi-
bili actu quo tangitur finis, et eodem
signo rationis tanguntur media.
Tunc enim utrumque necessaria
connexione attingitur, scilicet glo-
ria propter merita, et merita in
finem gloriæ: non ergo est necesse
distinguere hæc decreta et voluntates.

VIII. Alii per aliud extremum ita
muplicant ordines decretorum in
Deo, quod non solum circa diver-
sa objecta, sed etiam circa unum,
et idem distinguunt decretum intentionis,
et executionis efficacem, v. g.
circa gloriam ponunt intentionem
efficacem, et etiam efficacem ex-
ecutionem. Quem modum p. Suarez
citato loco, numero xiv, indicat sibi
placere, ut Deus intendat primo ef-
ficaciter gloriam absolute, deinde
per alium actum efficaciter velit
eammet gloriam exequi, et hic se-
cundus actus supponit merita præ-
visa, quia Deus non dat executioni
gloriam, nisi secundum formam
justitiae, et consequenter ex meritis,
et hoc secundum est quod ibi dicit
Suarez sibi placere. Primum vero
etiam non renuit, cum non neget
Suarez, sed potius affirmet cum pri-
ma sententia absolutam, et efficacem
intentionem dandi gloriam ante prævisa
merita. In specie autem illas duas voluntates efficaces
circa eamdem gloriam distinguit
Arrubal hic disp. LXXIV, c. II, quia
existimat oriri ex diversis motivis,
ut primo Deus ex motivo beneficen-
tiae, et misericordiae, seu gratiae
eligit ad gloriam sine apprehensio-
ne alicujus debiti, deinde post præ-
scientiam meritorum ex honestate
remunerationis, et debito justitiae
vult Deus efficaciter dare eamdem
gloriam. Hoc autem ideo fecit Ar-
rubal, quia ipse existimat Deum ha-
bere intentionem efficacem, et ab-
solutam de aliquo fine, v. g. de glo-
ria, non in se, sed in aliquo medio,

v. g. in gratia congrua, sive effica-
ci auxilio; et sic intendendo gratis,
et ex misericordia sua dare gratiam,
in ea vult etiam absolute, et effica-
citer dare gloriam ibi inclusam, ex
eodem motivo. Non autem concedit
Arrubal gloriam in seipsa prædefi-
niri absolute, et efficaciter antecedenter
ad merita, sicut etiam præ-
cedentisputatione, articulo ultimo
vidimus, et impugnavimus ejusdem
Arrubalis sententiam de prædefinitione
divina, et intentione efficaci
circa aliquem finem, ut continetur
in aliquo medio. Et per hoc putavit
Arrubal se opiniones supra positas
aliquatenus conciliare, ponendo
prædefinitionem absolutam, et effica-
cem gloriae ex motivo gratuito, et
ex misericordia, sed non in se, sed
in medio aliquo, nempe in gratia
congrua, et efficaci, et similiter po-
nendo decretum dandi gloriam ex
titulo oneroso, et post prævisa
merita. Ita docet disp. LXVIII et LXXIII
et LXXIV.

IX. Tertio, alii auctores defensores
scientiae mediæ conati sunt alia via
(videtur ipsis nova et non vulgaris)
conciliare primam et secundam
sententiam, quibus favet Herice
disp. xxiii de prædestinatione, c. XIII
et XIV. Et dicunt, quod post scientiam
mediam qua Deus videt ante
omne decretum suum cuiuslibet auxilii
congruitatem, vel incongruitatem,
si tali occasione tali voluntati
detur, habet Deus decretum quoddam
circa gloriam aliquorum, et non alio-
rum, in quo incipit secernere prædes-
tinatos a reprobis, ethoc decretum est
absolutum ex parte Dei, sed conditio-
natum ex parte objecti, quia amat
Deus gloriam prædestinatis sub
conditione si detur ex illa vocatio
congrua, qua ratione etiam conditionata
non amat reprobis gloriam. Et
ex hac speciali voluntate conditio-
nata circa gloriam electorum, nas-
citur alia voluntas dandi ipsis præ-

destinatis de facto, et absolute effi-
cacer media illa congrua, et con-
sequenter gloriam. Et ita dicunt
quod in voluntate efficaci, et abso-
luta, et quæ precedit omni condi-
tione purificata, decretum de glo-
ria, supponit merita et voluntatem
dandi gratiam. In voluntate autem
conditionata dandi gloriam, si ad-
sit vocatio efficax, precedit volunta-
tas dandi gloriam ipsam volunta-
tem absolutam dandi merita, et con-
grua auxilia, et hæc voluntas est
propria jam et specialis prædesti-
natorum, et in ea secernuntur a re-
probis, quia est principium virtuale
alterius secundi decreti absoluti
dandi ipsam gloriam congruam, et
media efficacia. Sed non video quo-
modo probare possint hi auctores
quod sit proprium et speciale præ-
destinatorum velle illis gloriam sub
conditione alicujus auxillii efficacis,
et congrui, si eis detur, cum nullus
sit reprobis, cui non videat Deus
per eamdem scientiam conditiona-
tam affuturam fuisse gloriam si eis
daretur auxilium aliquod pro illis
efficax, quod sine dubio videt dari
posse. Cur ergo eis etiam non amat
gloriam sic sub conditione futu-
ram, cum eis etiam conveniat? Qua-
re in sola illa absoluta voluntate
dandi media efficacia his, et non il-
lis, potest incipere discretio prædes-
tinatorum a reprobis in ista senten-
tia, et hoc est recidere in opinionem
Vasquez aut Arrubal.

Denique, alii sic voluerunt com-
ponere electionem ante merita, et
post merita prævisa, quod quasi pa-
trimonii legitima dividatur, et di-
cunt quosdam sanctos eligi ante
prævisa merita, quosdam post illa.
In prima serie ponunt sanctos ali-
quos excellentissimæ sanctitatis, ut
qui fuerint in gratia confirmati, et
non fuerint eis liberum ex vi talis
intentionis in gratia non perseve-
rare. In hac classe ponit Cathari-

nus B. Virginem, Apostolos, et alios
eximiæ sanctitatis, libro i de præ-
destinatione Dei, capite ultimo et
lib. III, cap. I et II, et aliis locis. At
vero p. Lessius disp. de prædesti-
natione, sect. V, num. LVI ad IV, so-
lam B. Virginem in hac serie nu-
merat, quam docet ante merita
prævisa fuisse electam, et præelec-
tam.

In his omnibus non est difficultas
de prædestinatione Christi ad filiationem
Dei naturalem, et ad glo-
riam animæ: talis enim prædesti-
natio ex nullis meritis fieri potuit.
Parvuli prædestinantur quidem ad
gloriam, etiam sine meritis propriis,
sed non sine alienis, quia in san-
guine Christi, et ejus meritis sal-
vantur. Unde etiam pro his currere
potest difficultas, an Deus incipiat
eos discernere a non prædestinatis
ex volitione gloriæ absoluta, an ex
præordinatione mediorum effica-
ci, v. g. ex præparatione baptis-
mi, etc.

ARTICULUS II.

Mens Augustini et S. Thomæ ex
Scriptura.

I. Tanta auctorum divisio non
obscurum signum est aliquid inven-
isse in fundamento illius primæ
sententie quod vix possit devorari,
et consumi, præsertim in modo lo-
quendi Scripturæ, et patrum, qui
electionem ad gloriam gratuitam,
et liberalem solent agnoscere; nec
potest hoc convenienter explicari,
si non invenitur nisi post merita,
quæ debiti titulum in gloria indu-
cunt, liberalitatis minuunt. Et præ-
terea, quia inversus ordo non sem-
per visus est in recta, et ordinata
providentia, a mediorum positione
efficaciam ordinationis accipere,
sed executionis tantum: omnis au-
tem executio derivatur ex voluntate